

Georg Philipp Olearius


Katharmata Gentilivm Occas. I. Cor. IV, 13.

Lipsiae: Fleischerus, [1707]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831919787>

Druck Freier  Zugang





76.

Fa - 1092 (16)

1703

A & Ω

ΚΑΘΑΡΜΑΤΑ GENTILIVM

OCCAS. I. COR. IV, 13.

INCLVTO PHILOS. COLLEGIO ANNVENTE
P R O L O C O

IN EODEM ALIQVANDO OBTINENDO

AD D. XIV. SEPTEMB. CIO IO CC VII.


SECVND A VICE DISPVTATVRVS
ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIT

M. PHILIPPVS OLEARIVS,
LIPSIENSIS.

L I P S I A E,

LITERIS CHRISTOPHORI FLEISCHER.

XXXIII.



Additamenta.

I.

Iephtam filiam immolasse, ex S. Scriptura satis liquido non constat.

II.

Quamvis obscurum satis sit, quid intelligatur. per חַיִּי אַזְאֵל: eorum tamen sententia est probabilis, qui putant, AZAZELEM esse Diabolum: voluntque, hircorum alterum Diabolo cessisse, non quasi Diabolo offerretur, sed quod volente Deo exponeretur vexandus Diabolo.

III.

Iure meritoque asserit Vir Doctus, vanam fuisse opinionem eorum paganorum, quibus Mori pro patria pulchrum erat, quia ea voce intelligebant nescio quid, quod sanctum habere & revereri decebat.

IV. In

IV.

*In Historia gravi orationes sunt
omittendae, nisi extent, aut earum
sententia certissime sciri possit.*

V.

*Factum Mosis Aegyptium occi-
dentis non est improbandum.*

VI.

*Ex contemplatione creaturarum
vel visibilium, per se acquiri potest so-
lida & firmissima cognitio Dei & di-
vinae existentiae.*

VII.

*Essentia corporis in extensione
non ita consistit, ut Corpus & exten-
sio idem sint, adeoque falsum est:
Spatium vacuum omni corpore desti-
tutum intelligi non posse.*



§. I.



Horrendas plane esse superstitiones quibus Gentilium animi olim addicti fuerunt, nemini, qui primis saltem labris eorum monumenta degustaverit, latere potest. Postea quam enim, cum Deum esse cognoscerent, utpote qui ex lumine naturae atque totius huius fabricae mundanae miraculo ipsis satis innotescere poterat, nihilominus verum Deum in se quidem invisibilem sed in hoc mundo tam magnifice condito, & tam mirifice administrato satis conspicuum ac veluti in speculo relucentem malitiose deseruerunt atque doctrinis Daemoniorum sese dediderunt: fraude insensissimi humani generis hostis inducti eo demenciae prolapsi sunt, ut maiestatem immortalis Dei adulteraverint adumbrata imagine mortalis hominis, nec hominis modo, verum etiam volucrum, quadrupedum & serpentum. Id quod non solum de Gentilibus in genere testatur Paulus Apostolus testis sine dubio omni exceptione maior, verum etiam de singulis ferme, si quidem instituti nostri ratio hoc ferret, multis testimoniis haud difficulter comprobari posset. Quis enim nescit, quam turpiter non Aegyptii tantum perspicacissimi alioquin ingenii natio, sed & ipsi Graeci Romanique ceteris, suo saltem iudicio, doctiores prudentioresque a recta via aberraverint; non affectuum minus humanorum, quam bestiarum & similis deteriorisque naturae rerum, digni nimirum suis numinibus

A

ad-

Dialog. I.
fol. 144.
Comment.
I. XXII. in
Ef. c. 46.

De nat.
Deor. I. III.

Pfann. I. I.
c. I. §. I. sq.

Infit. lib.
c. 21.

adoratores. Ita etenim *Aegyptii*, afferente Recognitionum auctore libro quinto, *cepas & cloacas, crepitus ventris, pro numinibus habendos esse docuerunt, & alia innumerabilia, quae pudet etiam nominare, quod iisdem propemodum verbis etiam confirmat Caesarius: Nisi forte de ethnicis loquamur, apud quos & fontes, & cepa, & flatus ventris non sine furore quodam inter Deos referuntur, & Hieronymus Taceam, inquit, de formidoloso & horribili cepe: & crepitu ventris inflati, quae Pelusiaca religio est. Sic etiam Graeci atque Romani rebus noxiis abominandisque Deorum nomina imposuerunt, quam stultitiam Coita apud Cicero- nem arguit: Tantum hic errorem fuisse, affirmans, ut perniciosius etiam rebus non modo Deorum nomen tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Febris enim aram in palatio, Orbonae ad aedem Larium & aram malae fortunae Esquilis consecratam videmus. Plura in hanc rem testimonia à Doctissimo Pfannero collecta in Systemate Theologiae gentilis purioris legi possunt. Nec solum circa obiectum cultus divini gentiles turpiter errarunt, verum etiam nefarios atque crudelissimos ritus a Diabolo, quem sibi magistrum elegerant, in ipsorum cultu adhibere edocti fuerunt, de quibus iure meritoque Lactantius exclamat: O de mentiam insanabilem! quid illis isti Dii amplius facere possent, si essent iratissimi, quam faciunt propitii? cur suos cultores parricidiis inquinant, orbitatibus mactant, humanis sensibus spoli- ant? quid potest esse his hominibus sancti? aut quid in pro- fanis locis facient, qui inter aras Deorum summa scelera com- mittunt? Nimirum hoc ipsum est, quod Poëta canit:*

Tantum religio potuit suadere malorum,

Quae peperit saepe scelerosa atque impia facta.

Huc autem sine dubio pertinent famosa illa piacula seu pur- gamenta, quae Graeca voce magis proprie καθάρματα ap- pel-

pellantur, de quibus in praesentia fusius differere apud animum nostrum constituimus. Faxit modo Deus feliciter!

§. II.

Ut autem ordine procedamus, de ipsa voce, quaedam praemittenda esse arbitramur. *κάθαρμα* itaque vox Graeca est, & derivatur à verbo *καθαίρειν*, quod primo *purgare & mundare* deinceps etiam *expiare, lustrare* significat. Hinc *κάθαρμα* est id quod ad purgandum adhibetur sive ad expiandum. Et secundum hanc significationem *καθάρματα* vocabantur homines, piaculares, i. e. pro patriae lustratione expiationeque devoti, quorum videlicet capite omnia civitatis aut gentis alicuius scelera luebantur, quique ad averruncandam Deorum iram mactabantur. Id confirmat non tantum Aristophanis Scholiast. ad Plantum: *καθάρματα ἐλέγοντο οἱ ἐπὶ τῇ καθάρσει λοιμῶ τινός, ἢ τινος ἐτέρας νόσος θυόμενοι τοῖς θεοῖς. Illi καθάρματα appellabantur, qui ad pestem aliumve morbum ullum avertendum Diis immolabantur.* Verum etiam Suidas in vocem *καθάσαι*: *ὑπὲρ καθαρῖσμις πόλεως ἀνῆρην ἐσολισμένον τινα, ὃν ἐκάλεον κάθαρμα: Pro expiatione urbis quendam stola indutum occidebant, quem vocabant piaculum.*

§. III.

Ista *καθάρματα* vel *περικαθάρματα*, ut Paulus Apostolus profert, alia nomine *περιψήματα* dicuntur, cum qua voce priorem illam non sine Emphasi coniungit idem Apostolus 1 Cor. IV, 13: *ὡς περικαθάρματα τῷ κόσμῳ, inquit, ἐγενήθημεν, πάντων περιψήματα ἕως ἄρτι.* Ostendit autem Grotius ad hunc locum, sicut *περικαθαίρειν* idem sit, quod *καθαίρειν*, ita *περικάθαρμα* idem esse quod *κάθαρμα*. Quod autem ad vocem *περίψημα* attinet, de vera & genuina ejus significatione variae sunt autorum sententiae. Isaacus In Comment. ad Ca. tull. p. 98. Vossius omnibus aliis interpretationibus reiectis acu rem

tetigisse sibi videtur, si Apostoli verba: πάντων περιψήματα ἕως ἄρτι, *omnium spongia haecenus*, reddat. Idem enim esse vult περιψήματα & ἐκμαγεῖον sive spongiam, & quidem talem spongiam, quae obscoenis usibus inserviebat, quam Martialis propterea *infelicem spongiam* appellaverit, & ob hanc rationem non solum Graecos & Romanos eam nunquam libenter nominasse, verum etiam Graecos patres & ipsum quoque Apostolum huius loco habere περιψήματα. Apostolum vero tale quid in mente habuisse, a Viro ceteroquin doctissimo satis obscoene affirmatur, qui animum rebus obscoenis sese pascentem, quavis data occasione, in toto illo commentario, plus satis prodidit. Alii a verbo ψάω derivantes sordes & purgamenta eiusmodi detorsione defrictioneve detracta, aut ramentum & quicquid limando deterritur, exponunt. Alii soleae suppectum corium; alii pulverem, quem calcamus, interpretantur. Quisquilias & sterquilinum, quin etiam pulverem vestigiorum esse Erasmus & Laurentius Valla contendunt. Quamvis vero Doctissimus Heinsius existimet τὸ περιψήματα, tanquam περιψήματα quosdam confundere; nam ψήματα esse ramentum, v. g. metalli, a quo aliud περιψήματα, quod erudite Eustathium idem fere quod λῦμα voluisse, cuiusmodi purgamenta in profluentem aut mare proiici solebant: eius tamen crisi ex hac parte subscribere non possumus, cum enim ψήματα & περιψήματα ab uno eodemque verbo ψάω deriventur, sine dubio eadem significatio utrique competit, inprimis cum capere non possim, quomodo περιψήματα & λῦμα inter se conveniant. Concedamus itaque, περιψήματα ramentum, sordes & purgamenta & in genere quamcunque rem vilem & reiectaneam significare: Hoc enim non solum scopo Apostoli Pauli optime convenit, verum etiam nostram assertionem, qua περιψήματα eadem esse ac καθάρματα

vid. Leigh.
Crit. S. in
voce περι-
ψήματα.
Heinsius in
Exercit. Sa-
cris ad h. l.

ματα sive lustramenta diximus, non infringit. Sicuti enim Eustathius testatur; ad lustrationes adhibebant, τὰς ῥυπαρὰς καὶ ἀποβλήτους ἀνθρώπους, κατὰ τὰ ἀπορίπτωμενα καθαρῶς, *homines sordidos & abiectos, quia quae lustrationi adhibita fuerunt, abiiciebantur.* Cum itaque fordes atque retrimenta tanquam inutilia foras proiiciantur & pedibus calcentur; hinc est, quod περίψημα sumatur pro ἀντιλύτρω, ἀντιψύχω pro piaculari victima, quae sordibus peccatorum onerata in mare proiiciebatur. Illud non tantummodo Hesychius testatur, qui περίψημα, per περικατάμαγμα, (ubi Hammondus legendum credit περικαθαρμα) ἀντίλυτρα, ἀντιψύχα ἢ τὰ ὑπὸ τὰ ἴχνη πάντων explicat, verum etiam Suidas ad hoc vocabulum ita commentans, ἕως ἐπέλεγον τῶ κατ' ἐνιαυτὸν συνέχοντι τῶν κακῶν, περίψημα ἡμῶν γένε, ἦτοι σωτηρία καὶ ἀπολύτρωσις. *Ei qui malis aderruncandis quotannis destinatus erat, sic imprecabantur, sis περίψημα nostrum, hoc est salus & redemptio.*

Eustath. Ed. Rom. p. 1935.

ad h. l.

§. IV.

Unde manifestum esse existimo, Apostolum in verbis supra allegatis omnino ad hunc ritum apud Gentiles receptum alludere, quasi dicere vellet, se nimirum Evangelii causa, ut Corinthios aliosque ex Gentilibus Christo lucrifaceret, nullum ignominiae, contumeliae, aerumnarum genus subire detrectasse, factum cum sociis suis & itinerum ac praedicationis consortibus, omnium propemodum, qui alienos ab Evangelio animos gerebant, lustramen ac retrimentum. Hoc est, se ita habitos itaque ab hominibus exceptos esse, quasi purgamenta generis humani essent, prae ceteris omnibus mortalibus ῥυπαροὶ καὶ ἀπέβλητοι, omnium contemptum, odium, iras meriti, in quas peccare nemo posset, digni denique, in quos debita ac destinata universo alicui populo mala, iusta Dei hominumque in-

A 3 digna-

dignatione recidant. Qua eleganti periphrasi Doctissimus Hermannus Witsius locum hunc egregie illustrat. Quotiescunque enim malum aliquod ingruerat, Christianos in causa esse Gentiles clamitabant, utpote qui iram Deorum perversa sua religione provocaverint. Ac proinde piacula mundi & succidaneae pro populo victimae reputabantur. Id quod Tertullianus hisce verbis affirmat: *Si Tiberis ascendit ad moenia, si Nilus non ascendit in arva, si coelum stetit, si terra movit; si fames, si lues, statim CHRISTIANOS AD LEONEM.*

Tom. II.
Misc. Sacr.
Exerc. II.
§. VII.

Tertullian.
Apolog. c.
XL. Sec. ed.
Rigaltii p. 32.

§. V.

In Com-
ment. ad
h. l.

Equidem Magnus Erasmus hic nonnullos movet scrupulos, qui dubium reddere videntur, an Paulus in hisce verbis ad tale quippiam, quod diximus, respexerit. Primo enim ait, nullum veterum interpretum hunc sensum attigisse. Paulum interdum exempla quidem collationesque ducere a rebus Ethnicorum, velut a pugilibus, a stadiis, a militia, sed publicis & quae sine gravi crimine peragi possunt. A latronibus, veneficis & impiis ritibus nunquam traxisse exemplum ad bonos mores. Porro an hoc exemplum immolandi hominem apud eos, quibus scripserit Paulus, fuerit perpetuum, sibi non esse verisimile. Ad haec si Paulus diceret, se victimam in hoc datam, ut repurget mundum omnibus malis, visurum eum sibi arrogare quod Christi proprium est. Praeterea alium scrupulum adesse Erasmus sibi persuadet, quod Paulus non vocet se catharma numero singulari, sed περικαθαρματα, ut per similitudinem ad res proiectas pertineat potius, quam ad hominem.

§. VI.

Ast vero haec argumenta non sufficere, ut nobis contrarium persuadeant, firmiter persuasi sumus. Quod enim ad primum Erasmi argumentum attinet, quando dicit, neminem

minem veterum interpretum hunc sensum attigisse, unusquisque, hebetioris qui non sit ingenii, nullo negotio satis intelligit, exinde nullam prorsus consequentiam posse deduci. Quem enim præterit, multa sane veteres interpretes non attigisse, quae propterea solido fundamento minime sunt destituta? Annon ipse Doctissimus Erasmus, omni laude maior, multa in interpretandis sacris literis attulit, quae a nemine veterum unquam allata fuerunt? nec ulla posteritas erit tam furda tamque ingrata, quin haec grata mente agnoscat & veneretur. Ut iam taceamus, non omni veterum auctoritate hanc sententiam carere, siquidem non tantum Origenes, postquam va-
Orig. T.IX.
Ioh. 10.
ria commemoraverat de Regibus & principibus, qui varia perpeffi sunt in gratiam populorum, & qui grassante quadam morbi contagiosi lue morti se tradiderunt, & sibi non pepercerunt, statim addit: Apostolos eodem sensu περιπαθήματα τῆ κόσμος καὶ περίψημα dictos esse, verum etiam Ambrosius, teste Grotio, hunc locum ita citavit: *Tanquam lustramenta huius mundi facti sumus.* Porro dicit Erasmus, ab impiis ritibus Apostolum nunquam traxisse exemplum ad bonos mores. Quod si vero Apostolus ab impiis sermonibus occasionem sumit dogmata fidei stabiliendi, quando verbi gratia de resurrectione agens affirmat, resurrectione mortuorum sublata, valere istud impiorum diciturium: φάγωμεν καὶ πίωμεν ἄριον γὰρ ἀποθνήσκομεν, ne-
1. Cor. XV.
v. 32.
scio, cur non ab impio ritu lustramentorum gentilium occasionem sumere queat contemptum & summum odium, quo mundus Evangelii praecones prosequitur, uberius declarandi. Neque etiam necessarium esse existimo, ut hoc exemplum immolandi hominem apud Corinthios fuerit perpetuum, quibus Paulus scripserit; sufficiebat enim, ut hic ritus Corinthiis non plane esset ignotus, qualem fuisse

pro-

probabile non est, cum lues ista, ut infra pluribus docebi-
 mus, universum terrarum orbem pervagata sit. Sed aliud
 adhuc dubium Erasmi animum vexat, quoniam, si Paulus
 diceret, *se victimam in hoc datam ut repurget mundum omni-
 bus malis*, videretur sibi arrogare, quod Christi proprium
 est. Sed bene res sese habet, quod conditio, ut cum Scho-
 lis loquamur, nihil ponat in esse. Cui enim in mentem
 venire posset, Paulum de merito Christi sibi aliquid arroga-
 re, quando dicit: se & alios Apostolos aequae contemptos &
 odiosos esse in oculis populi, aequae gravatos convitiis, & ex-
 ecrationibus multitudinis, atque hi morti adiudicati homi-
 nes, qui per modum publicae expiationis immolabantur.
 Omnium levissimum esse videtur ultimum argumentum,
 quod nimirum Paulus non vocet se *Catharma* numero sin-
 gulari, sed *περικαθάρματα*, ut per similitudinem ad res pro-
 iectas pertineat potius quam ad hominem. Etenim ex to-
 to contextu & in primis ex versu IX. ubi Apostolus dicit:
δοκῶ γὰρ ὅτι ὁ θεὸς ἡμᾶς τὰς ἀποστόλους ἐσχάτους ἀπέδειξεν,
 clarissime elucescit, Paulum non de se solo sed de omnibus
 Apostolis hic sermonem instituere, hinc omnia in plurali
 profert, adeoque commodissime dicit: Apostolos ceu
Catharmata reputari.

§. VII.

Paulo diutius forsan, quam par erat, in explicatione
 vocis *περίψημα* commorati sumus. Cum vero allegatus
 Apostoli locus ansam nobis de argumento nostro, quod
 prae manibus habemus, cogitandi primum suppeditasset,
 in ejusdem significationem paulo penitus inquirere ope-
 rae pretium fore duximus. Ceterum multa adhuc sunt
 nomina, quibus *Catharmata* apud Graecos insigniebantur,
 sic enim dicebantur *φαρμακὸν* quasi aliis sanandis ipsi mor-
 tem subirent. Id quod non tantum Eustathius confirmat:

Odysf. x.
 circa finem.

καὶ

καὶ μάλις, inquit, οἱ τὰς πόλεις καθαίροντες Φαρμακοὶ ἀτ-
 τικῶς ἐλέγοντο, καθὰ δηλοῖ καὶ ὁ Δημοσθένης; verum etiam
 Aristophanes conquerens, peregrinos, servos, pessimum-
 que hominum genus Remp. gerere, eos denique, οἷσιν ἡ πό-
 λις πρὸ τῆς εἰδὲ Φαρμακοῖσιν ἐικῆ ῥαδίως ἐχρήσατ' ἀν. Ubi In-
 terpres: *Quibus civitas ne quidem usa fuisset pro unguenta-
 riis.* Melius autem Scholiastes: Φαρμακοῖσιν δὲ τοῖς λεγο-
 μένοις καθάρμασιν, hoc est: *quibus civitas non facile usa
 fuisset piacularibus.* Ita quoque Suidas nos docet, hac vo-
 ce eum designari, cuius caede civitas expiatur, idque Ly-
 siae clarissimi Graeciae oratoris testimonio confirmat:
 Λυσίας Φησὶ. Δύο ἄνδρας Ἀθήνησιν ἐξῆγον, καθάρμα εἰσομέ-
 νης τῆς πόλεως ἐν τοῖς Θαργηλίοις. ἓνα μὲν ὑπὲρ τῶν ἀνδρῶν.
 ἓνα δὲ ὑπὲρ τῶν γυναικῶν. Quae verba Cl. Kusterus, de Sui-
 da immortaliter meritis, in luculentissima editione ita
 transtulit: *Vox exstat apud Lysiam, Duo Viri Athenis in fe-
 ste Thargeliorum educebantur, qui morte sua civitatem ex-
 piarent, unus pro Viris & alter pro mulieribus: Quem lo-
 cum a Suida allegatum ex oratione Lysiae κατ' Ἀνδοκίδος
 ἀσεβείας defumtum esse Harpocracion testatur: eiusdem-
 que orationis fragmentum hodie adhuc extare inter Ora-
 tiones veterum Oratorum ab Henr. Stephano editas Kuste-
 rus antea laudatus loco citato nobis indicat. Ipse vero lo-
 cus Oratoris, ad quem Suidas & Harpocracion respexerunt,
 exstat in fine fragmenti modo dicti & sic habet: Νῦν ἐν χρεῖ
 νομίζειν, τιμωρῶμεν καὶ ἀπαλλοτριόμενς Ἀνδοκίδος, τὴν πόλιν
 καθαίρειν, ἀρὰν ἀπάγεσθαι καὶ ἀποδιοπομπεῖσθαι, καὶ Φαρ-
 μακὸν ἀποπέμπειν, καὶ ἀλιτηρίως ἀπαλλάττεσθαι. Id est: *Nunc
 igitur existimandum est, si poenas ab Andocide exigamus,
 eumque e medio tollamus, nos urbem lustrare, dirasque de-
 pellere & procurare & piaculum a nobis amandare, patriam-
 que a peste liberare.**

Ran. act. 2. sc. 6.

Suidas in voce φαρμακός.

p. 103. sqq.

B §. VIII.

§. VIII.

Porro Catharmata Graecis vocantur βδελύγματα, ἀπο-
 τρέπαιοι, ἀντίψυχοι, μίασματα, κατάρτοι, ἀνάθημα, & si
 quae id genus plura sunt nomina. Quae singula excutere nec
 utile esset, cum omnibus una eademque notio sit subiecta,
 nec instituti nostri ratio ferret, siquidem iam satis diu in
 ὀνοματολογίᾳ versati fuerimus. Quapropter pauca tantum
 quaedam adhuc de ultima voce ἀνάθημα observasse conten-
 ti erimus. Nimirum Budaeus in commentariis Graecae
 P. 263 linguae distinguit inter ἀνάθημα penultima correpta, &
 ἀνάθημα penultima porrecta, hasque voces, uti scriptione,
 ita & significatione differre contendit. Quod enim ad
 posteriorem attinet, proluxa exemplorum inductione pro-
 bat, ἀνάθηματα dici *donaria* & *ornamenta templorum*, quae
 alias ἀφιερύμενα & ἀνακείμενα vocantur, vel *statuas sacras*,
 ipsa denique *Fana* & *Basilicas*, & *alia urbis ornamenta*. Ἀνα-
 θέματα autem dici sacros homines, quorum capita Diis in-
 feris dicata sunt & devota. Vtrumque derivat παρὰ τὸ
 ἀναθίνααι, id est, ἀνάπτειν, quod & istorum hominum dete-
 statio soleat in cippis exposita proscribi, & in parietibus &
 columnis templorum suspendi. Cum Budaeo facit Sal-
 maf. ad masius *nusquam ἀνάθημα apud Graecos*, inquit, *in malam*
 Luc. XXI, 5. *partem accipitur: nec illi unquam ἀνάθημα dixere pro ἀνά-*
θημα, ut hinc liqueat, aliud esse ἀνάθημα, aliud ἀνάθημα,
licet contra sentiant Viri in his literis Doctissimi. Et ita
 omnino res sese habet, sicuti Salmasius dicit; Hanc distin-
 ctionem multi Viri Doctissimi, ut Calvinus, Beza, Mu-
 sculus aliique non agnoscunt, nec sine ratione ita facere
 videntur, cum ex multis locis veterum satis constet, ipsos
 aperte utramque vocem confundere, & pro Synonymis ha-
 bere, quae loca magno numero allegantur a Suicero, e qui-
 bus hoc quidem patet, ἀνάθημα a Graecis in malam partem
 usur-

In Thef.
 Philol. sub
 voce ἀνάθη-
 μα.

usurpatum non esse, sed proprie esse donarium, quod consecratum numini in parietibus vel columnis templi ex lacunaribus suspendebatur. Ἀνάθεμα vero sine dubio est vox mediae significationis, quae non solum hominem diris devotum, sed etiam rem a communi usu segregatam & Deo consecratam notat. Vnicus Iustini Martyris locus instar omnium esse potest, ubi ἀνάθεμα non tantum dicitur esse τὸ ἀπηλλοτριωμένον Θεῷ διὰ κακίαν, id quod alienatum est a Deo propter malitiam; sed etiam τὸ ἀνακείμενον καὶ ἀφωρισμένον Θεῷ, καὶ εἰς κοινὴν χρῆσιν μηκέτι λαμβάνομενον, quod Deo est sepositum & consecratum & in communem usum non amplius convertitur.

Quaest. XXI. ad orthodoxos.

§. IX.

Quae hactenus de voce ἀνάθεμα disputavimus, ex iis Dilherrus putat intelligi posse, quod per ἀνάθεμα Paulus intellexerit dicens: ἡυχόμεν γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου. Talem nempe innuit, qui aliorum salutem sua morte promovere sategerit. Atque ita eleganter sui erga Iudaeos amoris magnitudinem Romanis exprimit, adhibendo verbum rituale, ipsis non incognitum: Nempe adeo inquit, (ita laudatus Dilherrus hunc locum παραφράσει) unice Iudaeos amavi, adeo anxie salutem ipsorum desideravi, ut, si scivissem, pendere eam ex morte & meo ex hac vitae statione discessu, nihil detrectassem, sed omnibus votis sacer homo & ἀνάθεμα fieri exoptassem: Non aliter ac cordati vestri Duces aut Cives fecere, qui salutem urbis, Vitam civium propria mereri morte non dubitarunt. Quamvis vero satis probabile sit, Paulum simul huc, quemadmodum Dilherrus existimat, respexisse, tamen diffiteri non possumus, hanc phrasin, ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, nostro iudicio aliquid amplius, quam Dilherrus sibi persuadet, involvere videri. Plura autem hac de re legere

Dilherrus T. I. Disp. XXII. s. 1. Rom. IX.



T. II. Mi-
scell. Ex. II.
De votivo
Anathema
Pauli.

desiderantem ad Doctissimum Witsium, qui hoc Thema fufe atque erudite pertractavit, ablegamus.

§. X.

Iam vero tempus est, ut valere iusso ulteriori & scrupulosiori vocum examine, ad rem veniamus. Cum vero haec καθάρματα, uti ex iam dictis fatis luculenter patet, proprie nil aliud significant, quam maectationem hominis, talem utique, qua pagani usi sunt ad expianda sua crimina & ad servandos se ipsos ab ira & vindicta Deorum: hunc crudelissimum cultum per totum terrarum orbem & a primis ferme seculis nimis frequenter factum fuisse ex Historiarum monumentis deprehendimus. Equidem unde tam horrenda superstitio, non dico profluxerit, sed invaluerit, vix dici potest; eandem tamen vetustissimam esse, e vetusto scriptore Sanchoniatone Philo Byblius Graece tradidit; ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς τῶν κινδύνων, ἀντὶ τῆς πάντων φοβᾶς τὸ ἡγαπημένον τῶν τέκνων τὰς κρατύντας ἢ πόλεως ἢ ἔθνους εἰς σφαγὴν ἐπιδιδόναι λύτρον τοῖς τιμοροῖς δαίμοσι. *Antiquis in more erat, ut in summis Reip. calamitatibus, priusquam omnia pessum irent, ii penes quos Gentis aut civitatis imperium esset, liberorum suorum charissimum Daemonibus ultoribus maectandum darent, ut exitium publicum domestico redimerent & averterent. Quo autem tempore immanissimus ille ritus primum in usu esse coeperit, fatis certo non constat. Sane ante diluvium eius nulla plane vestigia occurrunt. Post diluvium autem ex veterum monumentis eius originem in tempore Seruchi reiiicit Sain Aben Batrich, qui, allegante Seldeno, in immensum, ait, Seruchi aevo errasse homines & invaluisse idololatriam & immolasse filios suos & filias Daemoniis. In causa quidem fuisse Daemonem ventriloquum, qui ex*

Ap. Euseb.
Praep. Ev-
ang. I. IV.
c. 16.

Seldenus de
Diis Syris
Proleg. 4.
p. 47. &
Synt. I. p.
189.

ven-

ventre imaginis demortuo cuidam parenti sacrae locutus hominibus nefandum hoc praeeptum dederit. Quamvis vero non sit dubium, ritum illum omnino ad Diabolum auctorem referendum esse, cum Deus se nihil ea de re in mandatis dedisse, nec tale quid sibi unquam in mentem venisse, diserte affirmaverit; & ritus ille tam saevus sit & humanitatis expers, ut incredibile videatur, ullum patrem eum exercere potuisse, nisi vis quaedam Diabolica a sensu rationis & humanitatis eum abstraxisset: sunt tamen nonnulli, qui credunt, ambiguum Daemonis oraculum fuisse seculis antiquissimis editum, quo simplicem plebem לעביר כנו באש ut filiis suos per ignem, vel in ignem transire facerent, devinctam tenuerit. Hoc enim Oraculum flexuosum esse & ad fraudem populo faciendam compositum, quivis Hebraice vel mediocriter doctus facile intelliget: nam לעביר sensu consumendi & transeundi sumitur & באש in ignem vel per ignem denotare potest. Oraculum autem verbis tam perplexis & ambiguis efferebatur, ut liberorum immolationem innueret potius, quam aperte praeciperet, & populus ad oraculi iussa, sensu rigidiori capta, adimplenda pedetentim deduceretur. Adeo ut hoc oraculum affine videatur praeepto ab Apolline Pelasgis dato:

Jer. 19, 5. & 32. 35.

v. Spence-
rus l. II. de
Leg. Hebr.
Rit. c. X.
Sect. III.

Καὶ κεφαλὰς Κρονίδη, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε Φῶτα.

Cum enim vox Φῶτα & hominem & facem sonaret, alii hominem Saturno obtulerunt, alii Pelasgos defungi posse dixerunt, si facem mitterent.

§. XI.

Nobilissimus Marshamus feralem istum sacrificandi ritum Abrahami temporibus vetustiore esse contendit, id quod non tantum Philonis Iudaei, & Philonis Byblij testimoniis, verum etiam vetustissimis Aegyptiorum sacris Typhonicis comprobare satagit. Verum argumenta a Mars-

B 3 hamo

Aegypt. l. 3.
c. 7. p. 229.
sqq.

Scaliger in
Frag. p. 48.
Seldenus de
Diis Syr.
p. 118.
Bochart
Phoenic.
p. 790.

hamo in hanc rem allata refutavit in Aegyptiacis Herman-
nus Witsius, ubi ostendit, loca ex Philone Iudaeo adducta
non probare id, quod probare debent, quin potius contra-
rium ex multis locis eiusdem Philonis evinci posse affirmat.
Quod vero ad Philonem Byblium attinet, qui auctore San-
chuniathone ad Saturnum primam *ιουδουσιαν* refert; respon-
det Witsius, Sanchuniathon, scriptori fabuloso, & si cum
Abrahami aetate conferatur, novitio, parum fidei tribuen-
dum esse, quotiescunque de tam antiquis rebus garriat.
Praeterea si omissis fabulae mendaciis veritatem sectemur,
aut nullum revera in rerum natura Saturnum fuisse ait, aut
quae hic de Saturno narrat Sanchuniathon, Abrahamo
convenire, & per Saturnum Abrahamum hic revera desi-
gnari, omnes circumstantias, abunde evincere, id quod an-
te Witsium Scaliger, Bochartus, Seldenus aliique viri egre-
gii existimarunt. Hoc ipsum vero Witsius fuse deducit
atque ad singulas Marshami obiectiones prolixè atque
erudite respondet, quae singula hic exscribere longum fo-
ret, in primis cum librum in omnium manibus versantem
cupidi lectores ipsi adire queant. Quod denique ad Ty-
phonica sacra spectat, quibus Aegyptii homines sibi exosos,
eiusdem cum Typhone coloris, id est, rufos, quales ex Ae-
gyptiis pauci, ex peregrinis plures erant, ad Osiridis tumu-
lum mactabant: Witsius respondet: Marshamum qui-
dem dicere, sed nulla ratione probare, hunc morem Abra-
hami aetate vetustiore fuisse. Quamvis vero eruditissi-
mis hisce Witsii argumentis lubentes subscribamus, illud
tamen Marshamo imputari non posse videtur, quasi Abra-
hami filium suum Deo offerentis promittitudinem, quippe
cuius varia ubivis extent & ab antiquo extiterint exempla,
obscurare in animo habuisset, siquidem Marshamus in ipso
statim limine huius discursus fateatur, hanc Isaaci oblatio-
nem mirum fuisse fidei experimentum. §. XII.

§. XII.

Quae cum ita sint, causam adesse iudicamus in medio relinquendi, quo tempore primum homines ceu καθάρματα immolari coeperint. In sacris literis primi omnium hoc factitasse reperiuntur Cananaei eorumque vicini. Nam de his legimus, solitos eos Molochum placare liberorum suorum maectatione. Quisnam vero Molochus ille fuerit, diu & multum inter eruditos disputatum est, cum alii Martem, alii Mercurium, adhuc alii Priapum, plerique tamen Saturnum eum fuisse contendant. Quae ultima sententia nobis quoq; ceteris probabilior videtur. Primo enim MOLECH Regem sive regnantem notat. Inde & LXX. vertunt τὸν ἄρχοντα, aliquando βασιλέα. Iam vero manifestum est, hoc nomen optime convenire Saturno, cum eum Theologia gentilis constituerit Patrem Deorum & ab initio eorum Regem, priusquam a filio Iove de throno deturbaretur. Onomacritus in suis hymnis, Orpheo attributis, ipsum appellat θεῶν πατέρα ἡδὲ καὶ ἀνδρῶν Πατέρα hominum atque Deorum. Dein ex convenientia cultus quoque constat, Saturnum esse eundem cum Molocho, quod ubique ferme, ubi cultus Saturni innotuit, infantes ipsi immolati fuerint, sic Phoenices Saturno pueros maectasse dicuntur a Porphyrio l. II. sicut etiam Tyrii. Sic teste Athanasio, καὶ ῥήτες τὸν Κρόνον ἐν ταῖς τεκνοφονίαις ἐθρήσκουον, id quod de Rhodiis imo ipsis Romanis Macrobius & Lactantius testantur. Vt iam alios populos, qui Saturno eundem cultum exhibuerunt, praetereamus: Carthaginenses imprimis id, quod iam astruere conamur, confirmare possunt. Nimirum Carthaginenses sunt colonia Phoenicum, quod Doctissimus Bochartus multis probavit. Haec itaque gens Canaane egressa sine dubio secum tulit Deos patrios eorumque cultus, ac in iis horrendam quoque consuetudinem

Vosius l. 2. c. 5. de idolol.

Lev. 18, 21.

Onomacr. in hymno Saturni.

Athanasio Orat. adv. Gent. p. 22. Macr. Saturn. l. 1. c. 7. Lact. l. 1. Inst. c. 21.

Bochart. Geogr. sacr. l. 2. 6.

nem infantes idolo suo immolandi. Tam vero nullum aliud idolum, cui homines sacrificabantur, quam ipsum Molochum secum asportare potuerunt, propterea quod praeter hunc nullus alius Deus existeret, cui victimae humanae caedebantur. In hoc autem conveniunt omnes auctores, istum Deum a Carthaginiensibus crudelissimo hoc cultu affectum, fuisse Saturnum. Sic Plato Minöe: ἡμῖν μὲν ἔ νόμος ἐστὶν ἀνθρώπων θύειν, ἀλλ' ἀνόσιον. Καρχηδόνιοι δὲ θύουσι ὡς ὄσιον ὃν καὶ νόμιμον αὐτοῖς, καὶ ταῦτα ἔνοι αὐτῶν υἱὲς τῷ Κρόνῳ, ὡς ἴσως καὶ ἀκήκοας.

l. 1. Anti-
quit. Rom.
c. 38.

nyf. Halic. λέγουσι καὶ τὰς θυσίας ἐπιτελεῖν τῷ Κρόνῳ τὰς παλαιὰς ὡσπερ ἐν Καρχηδόνι, τῶς ἡ πόλις διέμεινε, καὶ παρὰ Κελτοῖς εἰς τὸ δε χρόνος γίνεται, καὶ ἐν ἄλλοις τισὶ τῶν Ἑσπερίων ἔθνῶν, ἀνδροφόνους.

Lact. l. 1.
c. 21.

Idem de iis narrat Pescennius Festus in libro Historiarum per Saturam apud Lactantium inquit: *Carthaginienses Saturno humanas hostias solitos immolare: & cum victi essent ab Agathocle, Rege Siculorum, iratum sibi Deum putavisse; itaque, ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse.*

Minut. Fel.
in Octav.
Augustin.
de C. D. 1.7.
c. 19.

Tertullian.
in Apolo-
get. c. 19.

Eandem rem itidem confirmant ex patribus Latinis Minutius Felix, Tertullianus & Augustinus. Eorum autem testimonia hic allegare superfedemus, ne de eodem plura enumerando fatigemus lectores. Itaque hoc unicum annotare nobis liceat, cultum Molochi quoad omnes circumstantias cum Saturni cultu, apud Carthaginienses recepto, accurate convenire.

Iustin. l. 18.
c. 6.

Etenim sicuti Moloch, sic etiam Saturno, apud Carthaginienses infantes immolabantur, illud testatur Iustinus: *Cum inter cetera mala, inquit, etiam peste laborarent, cruenta sacrorum religione & scelere pro remedio usi sunt: quippe homines ut victimas immolabant & impuberes (quae aetas etiam hostium misericordiam provocat) aris admovebant, pa-*
cena

cem Deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita Dii rogari maxime solent. Nec non Silius Italicus:

BelloPunic.

*Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poscere caede Deos veniam, ac flagrantibus aris,
Infandum dictu! parvos imponere natos.*

Porro licuti, iuxta Hebraeorum testimonium, cultui Molochi parentes liberorum interesse opus erat, eodem modo cultui Saturni apud Carthaginienfes, teste Plutarcho, matres adlisteri cogebantur, citra lacrymas & gemitus, (cum alias totus actus ad irritum cecidisset,) resonantibus circum circa tibiis tympanisque, ne puerorum ploratus exaudirentur. Denique statua Saturni iuxta descriptionem Diodori Siculi cum statua Molochi optime convenit. Ille enim ait, *Carthagine aeneam fuisse Saturni statuam* (qualem scilicet & Molochi apud Cananaeos fuisse Iudaei affirmant) *quae manus supinas extendebat, ita ad terram inclinatas, ut infantes superimpositi in voraginem igne plenam prolaberentur:* cuiusmodi statuas frequentes Hispanos reperisse in illis item Americae insulis, quae Africam contra spectant, quibus incolae infantes & puerulos, quos immolare statuebant, inclusos, igne admoto, crudelitate nefaria necarunt, Gyraldus, Ludov. Vives & Hospinianus referunt.

*negi dei
dauoras
c. 14.*

In Biblio-
theca l. XX.
p. 74. edit.
Hen. Steph.

Gyrald. de
Sacrif. p. 552.
Stuck. de
Sacrif. f. 552.
Lud. Vives
ad August.
de Civ. D.
l. 7. c. 19.
Hospinia-
nus de Orig.
Monach.
fol. 167.

§. XIII.

Plura de cultu Molochi in medium afferre religioni nobis ducimus, inprimis cum iam tot egregia eruditorum Virorum scripta extent, ubi hoc argumentum quoad omnes circumstantias abunde pertractatur. Quin potius de Aegyptiorum *καθάρματα* adhuc quaedam afferre lubet. Nimirum iam supra de Typhonicis Aegyptiorum sacris mentionem inieciimus. Veteres autem scriptores praeterea memorant Busirin quendam, qui, Nilo deficiente, cum placare & incrementum eius mactatis humanis ho-

C stiis

l. I. de arte
am. stis provocare statuerit. Quod Ovidius eleganter his versibus complexus est:

*Dicitur Aegyptus caruisse iuvantibus arva
Imbribus, atque annos sicca fuisse novem:
Cum Thrasylus Busirin adit monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Iovem.
Illi Busiris, fies Iovis hostia primus,
Inquit, & Aegypto tu dabis hospes aquam.*

Auctores Verum historia illa, quamvis a multis aliis auctoribus itidem relata fuerit, merito a nonnullis in dubium vocatur. hac de re allegatos v. Quidam enim, ut Strabo lib. ultimo, ullum fuisse Busiridem ap. Elmenhorst. in negant. Alii Busiridem fuisse volunt Pharaonem illum, Comment. ad Min. qui inhumano edicto masculam omnem Israëlitarum prolem recens natam aquis mergendam statuerat, qua de re Fel. p. m. 81. Vossius & Ouzelius prolixius egerunt. Diodorus autem or. & Pr. Siculo docet, homines in sacris Typhonicis ad sepulchrum Osiridis mactatos fuisse, indeque apud Graecos in c. XXX. valuisse fabulam περί της Βασίριδος Ξενακτονίας: non quod in Com- Rex aliquis vocatus sit Busiris, sed tumultus Osiridis vernacula ad Min. Fel. p. m. 193. cula lingua id nomen habuerit. Tandem tamen nefandus Diod. Sic. iste ritus per universam Aegyptum funditus extirpatus est, f. l. p. 56. adeoque abolitus ut Herodotus eum nunquam fuisse crediderit. Egregii huius facinoris auctorem fuisse Amosin in Herodot. loco hominum antea mactatorum similes cereos sufficere iubentem ex Manethone Porphyrius narrat. De Περὶ ἀποχῆς quo Amosi memorabilem historiam apud Philostratum legimus: animam scilicet huius regis φιλανθρωποτάτης Leonem etiam φιλανθρωπον ingressam fuisse. Leonem scilicet, ait, mansuefactum loro, veluti, canem a non nemine ductum esse, qui non modo Duci sed cuicumque appropinquant ad eum blandiri solitus fuerit. Ad Apollonium autem venientem & genibus blande adganniisse, & magis quam

De Vita
Apoll. l. V.
c. XV.

quam ulli alii mortalium affedisse, ita ut ex spectatorum sententia mercedem aliquam ab eo expectare videretur. Apollonium autem dixisse: *Ope mea indiget hic Leo, nimirum ut edeceam vos, cuiusnam hominis animam habeat. Est igitur Amasis ille Aegypti Rex, in Saitica praefectura.* Quibus auditis Leonem miserabiliter infrenuisse & genibus flexis eiulasse lacrymas etiam mittentem. Apollonium autem Lentopolim eum mittere iussisse, ut ibi cultu debito afficeretur.

§. XIV.

Sed mittamus fabulas & iam ex Asia & Africa in Europam & speciatim in Graeciam transeamus consideraturi, quatenus καθάρματα apud illam nationem in usu fuerint. Recordamur autem, iam supra quaedam loca a nobis adducta fuisse, quae docent, Athenienses in primis gentem Graecae nationis facile principem in sacris suis eiusmodi καθάρματα adhibere consuevisse. Nimirum ex Suida audivimus: Athenis in festo Thargeliorum duos Viros eductos esse, qui morte sua civitatem expiarent, unum pro viris & alterum pro mulieribus. Quam solennitatem iam paulo uberius exponere iuvat. Nolumus autem hic multa de festo Thargeliorum disputare, de quo Ioannes Fasoldus, Petrus Castellanus & quem primo loco nominare debebamus, Ioannes Meursius in tractatibus de festis Graecorum conscriptis satis fuse egerunt. Nobis iam sufficit ut sciamus, Θαργήλια fuisse festum apud Athenienses sacrum Apollini & Dianae, vel ut alii volunt, soli & Horis mense Thargelione, Romanorum Aprili, ut Gaza vult, respondente, celebrata. Nomen habet, dicente Etymologici Auctore, ἀπὸ τῶν θαργηλίων. θαργήλια δὲ εἰσὶ πάντες οἱ ἀπὸ γῆς καρποὶ. Huic festo biduum impendebatur; sexta, nempe & septima mensis Thargelionis. In sexta urbs

lustrabatur. A Suida vero, qui duos viros eductos fuisse ait, dissentit Hesychius. Iste enim in voce *Φαρμακοὶ* refert, non duos Viros, sed Virum & foeminam fuisse, atque ita singulos suum sexum expiasse. Sed quoquo modo haec res sese habeat, hoc certum est, illas personas huic expiationi destinatas Athenienses publico sumtu in hunc finem aluisse. Supra locum quendam ex Scholiaste Aristophanis hac de re adduximus, huic iam alium fusius hoc enarrantem ex eodem Scholiaste ad equites Aristophanis subiungere placet, ubi ait: *Δημοσίως τὰς λεγομένους Φαρμακούς, οἵπερ καθαίρουσι τὰς πόλεις τῶν ἑαυτῶν Φοῶν, ἢ τὰς δημοσίαι καὶ ὑπὸ τῆς πόλεως τρεφομένους. ἔτρεφον γὰρ τινὰς Ἀθηναῖοι λίαν ἀγενεῖς καὶ ἀχρήστους καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινὸς ἐπελθούσης τῆ πόλεως, λοιμῶν λέγω ἢ τοιαῦτα τινός, ἔθουον τὰς τῆς ἑνεκα τῆ καθαρθῆναι τῆ μίσματος, ἔς καὶ ἐπώνομαζον καθάρματα.* Quod ad ipsas huius lustrationis ceremonias attinet, istae erant pe-

In lect. Att.
L. 4. c. 22.

culiaries easque Ioannes Meursius prolixè admodum descripsit, ex quo easdem hic loci referre operae pretium fore arbitramur. Nimirum suspendebantur immolandis his hominibus nigrae & albae caricae ex collo, nigrae erant pro Viris: albae pro foeminis. Praeterea in manus dabant caseum, mazam & caricas; septiesque colaphis, scillis, ficubus agrestibus, & aliis eiusmodi percussi igne concremabantur, cineresque deinde in mare spargebantur. Quae singula Io. Tzezeshis versibus complexus est:

Chil. 5. c. 23.

Ὁ Φάρμακος, τὸ καθάρμα τοιαῦτον ἦν τὸ πάλαι,
Ἄν συμφορὰ κατέλαβε πόλιν θεομηνία,
Ἐἴ ἔν λιμὸς, εἴτε λοιμὸς, εἴτε καὶ βλάβος ἄλλο,
Τῶν πάντων ἀμορφότερον ἦγον, ὡς πρὸς θυσίαν,
Ἔς καθαρμὸν, καὶ Φάρμακον πόλεως τῆς νοστήσης,
Ἔς τέπον δὲ τὸν πρόσφρον ἤσαντες τὴν θυσίαν
Τύροντε δόντες τῇ χειρὶ, καὶ μάζαν, καὶ ἰσχάδας,

Ἐπ' α-

Ἐπίλακας καὶ ραπίσαντες ἐκεῖνον εἰς τὸ τότε
 Σκίλλαις, συκαῖς ἀγρίοις τε, καὶ ἄλλοις τῶν ἀγρίων,
 Τέλος πυρὶ κατέκαιον, ἐν ξύλοις τοῖς ἀγρίοις,
 Καὶ τὸν σποδὸν εἰς θάλασσαν ἔρραινον εἰς ἀνέμους,
 Ἐἰς καθαρμὸν τῆς πόλεως, ὡς ἔφην, τῆς νοσῆσης.

Hofce versus sic vertit Sanctius in Minerva sua:

L. IV.

*Catharmā quondam tale purgamen fuit,
 Si pestis, aut fames, vel alia calamitas
 Vexaret urbem ira Deorum percitam,
 Ad victimam deformis ante omnes homo,
 Purgamen, atque pharminus ductus fuit.
 Cum ventum ad aram est, caseum, ficus, ador;
 Ipsi in manum dabant: deinde septies
 Pudenda scillis verberabant victimae,
 Caprifico, & aliis surculis agrestibus,
 Agrestiumque urebant ramis arborum
 Devota membra: tum sacrum cinerem gravis
 Levamen urbis ventilabant in mare.*

Praeterea non tantum veste ornatiore induti producebantur, id quod ex Suidae loco supra allegato colligere licet: ὑπὲρ δὲ καθαρμῶν πόλεως ἀνήρην ἐσολισμένον τινα, ὃν ἐκάλεσαν καθάρμα. Pro purgatione autem urbis occidebant subornatum quendam, quem vocabant purgamentum; sed etiam deducebantur ad tibiae cantum, cuius modulus Κραδίης νόμος dicebatur. Sic Hesychius: Κραδίης νόμον τινα ἐπαυλάξσι τοῖς ἐκπεμπομένοις Φαρμακοῖς. Cordis cantilenam quandam tibia accinunt pharminis, qui emittuntur. Ceterum hoc praetermittendum non esse videtur: Suidam aliosque asserere, haec καθάρματα non igne cremata, sed in mare deturbata fuisse, teste enim Suida inter acclamandum: περίφημα ἡμῶν γένος, hoc est, salus & redemptio, ita miserum praecipitabant in mare, quasi Neptuno sacrum solventes.

C 3

§. XV.

§. XV.

Non soli autem *Athenienses* sed omnes ferme Graeciae populi hunc barbarum ritum exercebant. Sic *Lacedaemonii* ante belli Troiani tempora oraculi iussu, ut a peste liberarentur, virginem nobilem annis singulis immolabant, idque sacrum quando inceptum & quomodo etiam finitum fuerit, memoratur a Plutarcho: λοιμὸν κατασχόντος Λακεδαιμόνα, ἔχρησεν ὁ θεὸς παύσεσθαι, ἐὰν παρθένον εὐγενῆ κατὰ ἔτος θύωσιν. Ἐλένης δὲ τότε κληραθείσης, καὶ προαχθείσης κεκοσμημένης, αἰετὸς καταπλάς ἤρπασε τὸ ξίφος, καὶ εἰς τὰ βυκόλια κομίσας, ἐπὶ δάμαλιν κατέθηκεν. ὅθεν ἀπέσχοντο τῆς παρθενοκτονίας. Peste *Lacedaemonem* infestante, *Dei oraculo moniti sunt, cessaturam, si quot annis virginem nobilem immolarent.* *Helena vero cum quandoque sorte ducta esset ornata produceretur, aquila advolans abripuit gladium, atque in armentum deferens buculae imposuit: unde factum, ut deinceps caede Virginis abstererent.* Eosdem *Lacedaemonios* hominem Marti, quem *Arnobio* teste & civem suum & apud se natum esse credi volebant, immolasse *Ister* & *Apollodorus* tradiderunt, idemque *Porphyrius* ac *Theodoretus* memoriae prodidere. Huc etiam pertinet crudelissima illa flagellatio primorum iuvenum, inspectantibus amicis & consanguineis, ad aram *Dianae* apud eosdem *Lacedaemonios* usu recepta. Quae consuetudo erat tam barbara, ut *Thespion Gymnosophistarum* princeps eam *Lacedaemoniis* vitio verteret apud *Apollonium*, qui *Lacedaemonios* propterea excusare conatur, quod istud elegerint, quod futurum erat tolerabilius. Cum enim *Diana Scythica*, quam ab *Oreste* ex *Scythia* *Lacedaemonem* adductam esse ait *Lucius Stadius*, *Oraculum* edidisset, quo, prout apud *Pausaniam* refertur, praeceperat, αἵματι ἀνθρώπων τῶ βωμῷ αἰμάσσειν.

i. e.

In minori-
bus Paral-
lelis,

Ara, l. IV.

Porphyr. de
Abst. l. 2.
Theodoret.
Therap.
l. VII.Philost. de
Vita Apoll.
l. VI. c. X.
Ad Statii
Theb. VII.
p. 434.
Paus. l. i. c.
16. prop. 5a.

i. e. humano sanguine aras aspergere, qui honor apud Scythas Dianae habitus fuerat: Lacedaemonii sacrificium, quod deprecari non possent, callide interpretati ad tolerantiae certamen accesserunt, in quo mortem liceat evitare & sanguine suo Deae litare. Sic *Leucadii* in Apollinis sacrificio quotannis avertendae Deorum & Apollinis praecipue irae impurum aliquem hominem deligebant, quem mactare consueverunt: sed postea mutatus fuit ritus, cum avium pennis aut ipsis etiam avibus onustum de sublimiori quidem specula praecipitem darent, ita tamen ut non periret, sed ipsum hoc modo deiectum finibus suis cum imprecatione, ut peccata eorum auferret, eiicerent. Sic etiam apud *Massilienses*, ut ex Petronio notavit Servius, quoties pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat, alendus anno integro publicis & purioribus cibis. Hic postea, ornatus verbenis & vestibus sacris, circumducebatur per totam civitatem, cum execrationibus, ut in ipsum reciderent mala totius civitatis & sic proiiciebatur. Eandem ferme expiationem *Abderitanos* quoque certis diebus fecisse, innuit Ovidius in Ibin:

*Aut te devoteat certis Abdera diebus
Saxaque devotum grandine plura petant.*

§. XVI.

Nescio autem an huc referenda sit, quod a Gyraldo factum esse deprehendo, historia Apollonii Tyanaei, quem non minus tetra huiusmodi expiatione in Ephesi pestilentia usum esse Gyraldus asserit, siquidem, ut eam averteret, mendicum senem lapidibus obrui praeceperit. Profecto, si vera est fabula, non verus mendicus sed *δαίμων παλαμναίος*, pestifer Daemon hic adfuit, qui hanc histrioniam ea potissimum fini exercuit, ut maiorem inde gloriam strenuo illi Paganismi Hyperaspistae Apollonio conciliaret, cuius

Strab. L. X.
P. 452.

ad 3. Aeneid.

Synt. XVII.
de Sacrific.
P. 491.

cuius erat, in famae suae incrementum a tam infano malo civitatem liberare. Daemonem enim fuisse apparuit ex oculis eius dum lapidabatur, & ex canis villosi praestigiis Leonem magnitudine aequantis, referente Philostrato, sub acervo lapidum inventi; cum tamen populus eum ibi videre forma priori, pannosi utique mendici, expectaret.

§. XVII.

Vt ad nostra redeamus non pauperes duntaxat & privatae fortis homines, cuiusmodi exempla haec adducta pleraque fuerunt, pro salute populi ceu καθαρματα immolabantur; sed & magnates & principes populi, ipsique adeo Reges sponte in se & familias suas aliis debitas poenas suscepisse memorantur. Annotarunt istud veterrimi &

Orig. T. IX.
ro. Ioh.

Apostolici aevi Christiani. Sic enim Origenes de martyribus agens eos comparat illis, qui inter Gentiles pro communi hominum salute se ipsos morti tradiderunt, cum pestilentes morbi vel alia quaecunque mala patriam suam invasisent. *Καὶ παραδέχεται ταυτὸ ἕτως γεγονέναι ἐκ ἀλόγως πισεύσας ταῖς ἰστορίαις ὁ πῖσος Κλήμης ὑπὸ Παύλου μαρτυρούμενος. Et haec evenisse admittit non sine causa Historiis* (non

Clem. in ep.
ad Cor.
§. 55.

scripturis, ut male Interpres) *credens Clemens Fidelis, cui a Paulo testimonium perhibetur. Locus autem Clementis quem respexit Origenes, hic est: ἵνα δὲ καὶ ὑποδείγματα ἐθνῶν ἐνέγκωμεν. πολλοὶ βασιλεῖς καὶ ἡγούμενοι λοιμικῆ τινὸς ἐνσάντος καιρῆ χρησιμοδοτηθέντες, παρέδωκαν ἑαυτὸς εἰς θάνατον ἵνα ῥύσωνται διὰ τῆ ἑαυτῶν αἵματος τὰς πολίτας. Vt autem exempla gentium in medium proferamus, multi Reges & principes, grassante pestifera lue Oraculo moniti, morti se ipsos tradiderunt, ut cives suo sanguine liberarent. Memoratu dignum est, quod Pausanias de Aristodemo Messeniorum Rege narrat. Cum enim Messenii bello impliciti adversa fortuna uterentur, Oraculum Delphicum iussit;*

Paus. l. IV.
p. 233.

ut vir-

ut virgo ex Aepytidarum familia immolaretur : Lycisci filia sorte ducta est ; sed dum vates illam populo denunciat fuisse supposititiam , ipsa cum patre Spartam profugit. Aristodemus itaque Messenior. Rex filiam suam immolandam ultro obtulit : eius autem sponsus negabat, eam esse in potestate patris ; qua ratione cum parum proficeret, puellam a se vitiatam & iam gravidam esse affirmabat : Filia autem ab irato patre protinus occisa eiusque utero exciso, constabat eam non fuisse praegnantem. Vates ea caede ex Oraculo litatum esse negabat, sed Euphaes persuasit, populum nulla amplius religione teneri, neque interesse, a quo virgo caesa sit. Multis adhuc aliis exemplis idem confirmari potest. Quis enim nescit Erechteum Atheniensium Regem? qui cum ab Eumulpo Thrace bello peteretur, iuxta responsum a Vatribus, fore superiorem, si filiam suam immolaret , crudeli manu pro civitatis Atticae salute obtulit victimam, inde mater Praxithea apud Euripidem sic inquit, citante Lycurgo Orat. contr. Leocr.

Χρησθ' ὦ πολῖται τοῖς ἐμοῖς λοχεύμασι
 Σώζεσθαι, νικάτ'. ἀντί γὰρ ψυχῆς μιᾶς
 Ὅκ' ἐστὶ ὅπως ἔτηνδ' ἐγὼ σώσω πόλιν
 ὦ πατὴρ, εἴθε πάντες οἱ ναίσι σε
 οὕτω φιλοῖεν, ὡς ἐγὼ. καὶ γε ραδίως,
 οἰκοῖμεν ἂν σε, κἄρ' ἐν ἂν πάσχοις κακὸν

*Concedo Cives, victimam hinc abducite,
 Vt salva sit victrixque nostra patria,
 Nam filiae vitae salutem publicam,
 Immota stat sententia, antepondere.
 O patria, utinam diligant te singuli
 Cives, ut hoc ardet meum pectus tui
 Amore vero, si voluntas Principum*

D Talis

*Talis foret, tranquillior stus tuus
Maneret.*

Cui Erechtheo ob hanc ipsam causam post mortem consecrato sacerdotem destinatum Cicero inuit in tertio de natura Deorum. *Sed si sunt hi Dii, inquit, certe est Erechtheus, cuius Athenis & delubrum vidimus & sacerdotem.* Cui porro ignota sunt exempla Codri Regis Athenarum ultimi, Menoecei Principis Thebani, Macariae Herculis filiae, Iphigeniae itidem, filiae Agamemnonis, cuius sacrificium in nummo quodam argenteo admodum solido atque luculento repraesentari ait Doctissimus Saubertus, in cuius parte altera effigies Iphigeniae visitur, cum epigraphe: ΙΦΙΓΕΝΕΙΑ ΑΓΑΜΕΜΝΟΝΟC: in altera extat ipsius immolatio, cum inscriptione: ΕΛΛΗΝΩΝ ΚΑΛΛΙΕΡΗΜΑ. quem nummum laudatus Saubertus depingi curavit in tabella capite decimo octavo litt. A. praefixa.

§. XVIII.

Ceterum cum ad hanc Iphigeniam pervenerimus, silentio praeterire non possumus, fuisse nonnullos, qui existimarunt, huic fabulae comminiscendae ansam praebuisse historiam Iephtae, filiam Deo sacrificantis, siquidem nomen & tempus quam optime inter se convenient. Quod enim ad nomen attinet, Iphigeniam idem esse ac Ἰεφθιγένειαν, qua voce filia Iephtae absque ulla ferme mutatione significetur. Deinde quoad Chronologiam, inter Doctos quoque convenire, Iephtam scilicet & Agamemnonem eodem tempore vixisse. Hinc esse probabile, Homerum hanc insignem historiam ex Iudaeorum monumentis mutuatum esse, ut hoc ipso operi suo splendorem conciliaret; ut vero haec actio crudelissima molliretur, simul finxisset poetam, Iphigeniam a Diana sublatam fuisse, priusquam consummata esset. Clarissimus Huetius addit: hunc Iephtam non solum A-

De Sacrific.
p. 518. edit.
Th. Crenii.

V. Iuricus in
Hist. Dogmat. &
Cult. Ecclesiae
p. 202.
& 381.

Huet. Dem.
Ev. Prop.
IV. §. VI.

memnone adumbrari, verum etiam Idomeneo, qui tempestatibus iactatus, cum Neptuno sacrificaturum se pollicitus esset, quidquid sibi primum ad littus appellenti obvium foret, navi egressus incidit in filium, quem & ex voto mactare coactus est. Quas coniecturas admodum ingeniosas esse, nec a specie veritatis abhorrere lubentes fatemur; quamvis nobis magis probabile videatur: Graecos postea quam fama huiusmodi facti ad ipsorum aures pervenerat, illud ex κακοζυλία quadam revera imitatos esse. Vtcunque autem sit nos haec in medio relinquentes adhuc unicum Graecorum κἀθάρμα in medium afferre constituimus. Illud est Polyxena, Priami filia propterea mactata, ut manes Achillei placarentur, qui hanc victimam postulaverant. Factum hoc in Chersoneso Thracica, quae e regione Troiae erat posita, remque omnem exposuit τραγικωτέρως Euripides, miroque artificio ob oculos posuit integra fabula, cui Hecubae nomen dedit. Breviter quidem sed egregie rem totam describit Ovidius, apud quem Achillis umbra Metam. l. 13. Fab. 2. poscit Polyxenam his verbis:

Placet Achilleos mactata Polyxena manes.

Quo facto Polyxena:

*Rapta sinu matris, quam iam prope sola fovebat,
Fortis & infelix, & plus quam foemina virgo
Ducitur ad tumulum, diroque fit hostia busto.
Quae memor ipsa sui, postquam crudelibus aris
Admota est, sensitque sibi fera sacra parari;
Vtque Neoptolemmum stantem ferrumque tenentem,
Vtque suo vidit figentem lumina vultu,
Vtere iamdudum generoso sanguine, dixit.
Nulla mora est. Aut tu iugulo vel pectore telum.
Conde meo: iugulumque simul pectusque retexit.*

D 2

§. XIX.

§. XIX.

Plura Graecorum *Kαθάρματα* enumerare nolumus, tum quod haecenus enumerata iam sufficiant, tum quod Graecis communiter omnibus morem fuisse eundem Deos humano sanguine placandi Phylarchus testetur. Cum vero haecenus eiusmodi exempla recensuerimus, ubi Reges & Principes se ac liberos suos pro communi salute devoverunt, iis duo alia insignia exempla quanquam non apud Graecos obvia subiungere placet. Primum nobis refert sacra scriptura, quam ob causam minime de veritate eiusdem dubitare possumus. Est autem desperatum illud Moabitarum Regis facinus, qui in extrema belli necessitate constitutus, primogenitum suum, suo regnaturum loco, in obsessae urbis suae muro, & conspectu victricium copiarum, mactavit, combussitque in holocaustum. Quid Regem ad crudele & barbarum hoc consilium impulerit, varia comminiscuntur Rabbinii, quae brevitati studentes omittimus. Sine dubio non alia causa fuit, quam ut Dii placati tam dilecto & insigni holocausto tutarentur murum, forsan etiam ut Israelitis murum obsidentibus commiserationem moveret, dum viderent Regem ad tantas angustias redactum, ut filium suum primogenitum immolaret, itaque eum obsidere & persequi desinerent, eoque relicto domum redirent, uti & fecerunt. Alterum exemplum de septentrionalibus populis refert Dithmarus, primo nimirum anni mense nonaginta novem sortito eligi solitos, qui Diis immolarentur: idque durasse usque ad Henrici I. Germaniae Regis tempora. Faustissimum vero id regno litamen existimatum, SI SORS REGEM TETIGISSET: quam victimam totius populi multitudo, summa cum gratulatione & applausu profecuta sit.

§. XX.

§. XX.

Romanos sicut pleraque omnia sic etiam haec ipsa nefaria sacra a Graecis didicisse Rupertus in Observa-
 nibus ad Florum asserit. Quamvis enim Cicero Gallis
 severe ac graviter exprobrat, quod homines sacrificent
 vivos. *Si quando, inquit, aliquo metu adducti Deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant. Ut ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere violaverint. Quis enim ignorat, eos usque ad hanc diem retinere immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolatorum? Quamobrem quali fide, quali pietate existimatis esse eos, qui Deos immortales arbitrentur hominum scelere, & sanguine, facile posse placari: tantum tamen abest, ut gens Romana ab hac lue fuerit immunis, ut ipsa haud secus ac omnes aliae gentes eadem quam maxime esset infecta. Quid enim? nonne Tertullianus, Lactantius, Porphyrius alique unanimi consensu testantur, ipsos olim homines Saturno & Iovi Latiari mactasse? Nonne sacra ipsorum depulsoria satis nota sunt, quorum Plinius meminit, & quae Marium quoque privatim obiisse, cum filiam Diis averruncis seu malorum depulsoribus sacrificaret, Dorotheus in libro quarto rerum Italicarum, teste Clemente Alexandrino, memoriae prodidit. Et quid quaeso de publicis ipsorum devotionibus dicamus? Quas duplicis fuisse generis coactam scilicet & voluntariam, Auctores perhibent. Coacta ex libris Fatalibus vel aruspicum responsis, ut cum iussu librorum Sibyllinorum mali publici avertendi causa peregrinis quibusdam & alienis geniis non tantum duos Graecos, sicuti Plinius ait, verum etiam, teste Plutarcho, totidem Gallos homines vivos in foro boario defoderunt, cuius facti historiam pluresque circumstantias idem Plutar-*

Observat.
ad Flori l. 1.
c. 13.

In reliquiis
Orationis
pro M. Fonteio.

Tertull. A-
pol. c. X.
Lact. l. 1.
c. 21.

Porphyr.
περὶ ἀποχ.
l. 2. §. 56.
Plin. l. 28.
c. 2.

Clem. Alex.
Protrept.
p. 27.

Plin. Hist.
Nat. l. 28.
c. 2.

Quaest.
LXXXII.

chus in Quaestionibus Romanis uberius exposuit. Voluntaria autem Diis exoptulantibus fiebat, & ab eiusmodi hominibus, qui amore patriae eiusque salutis flagrabant, peragebatur. Exempla sunt notissima. sic prima & antiquissima devotio, Gallorum Senonum fuit adventu, quo maiores natu amplissimis usi honoribus in forum coierunt, ibique M. Fabio Pontifice Max. carmen praeunte, devoverunt se pro patria Quiritibusque Roman. Quo spectant veteres istae Deorum postulationes, quae antiquo & sacro verbo POSTVLIONES dicebantur, sicuti

Varro l. IV.
de ling. lat.
Guther. de
Veter. Iure.
Pontificio
L. IV. c. 15.

Varro *Deos manes postulationem postulare* dixit, quem locum, annotante Iacobo Gutherio, Turnebus corrumpit, quia cum vim verbi *Postulionis* non satis intelligeret, eius loco Postileonem reponit, quod postis appellexur terrae hiatus, qui censebatur Orci ianua. Sed hanc emendationem Scalliger merito respuit, siquidem nec postis manium pro

Arnob. l.
IV. adv.
Gentes.]

Orci ostio legatur, quod *manale* dicebatur; & *postulionis* antiquum verbum agnoscat Arnobius: *In ceremoniis*, inquit, *vestris rebusque divinis, Postulionibus locus est.* Postulio itaque inferorum fuit, cum hominem aliquem peterent, qui iis devoveretur. Quo pacto Deorum postulio M. Curtius extitit. Cum enim a Procilio relatum esset, in eo loco dehiasse terram, & ex Senatus consulto ad haruspices relatum; responsum est, Deum manium postulationem postulare, civem fortissimum eo demitti. Quo facto M.

Quaest.
Tusc. l. c. 37.

Curtius adolescens nobilis sese sponte in hiantem terram coniecit eques, suosque ex calamitate salvos reddidit. Eodem modo tres Decii Romani nobilissimi pater, filius & nepos Diis manibus postulantibus sese devoverunt. Quomodo enim Cicero scribit: *cum Latinis decertans Pater Decius, cum Etruscis filius, etiam cum Pyrrho nepos, se hostium telis obiecerunt.* Et quod ad patrem attinet, notatu dignae

G E N T I L I V M.

dignae sunt circumstantiae, quas Livius literis consignat. Bello nimirum Latino, Decio Patri & T. Manlio, in quiete eandem speciem visam esse viri maioris quam pro humano habitu, angustiorisque dicentis: *Ex una acie imperatorem, ex altera exercitum Diis manibus, Matrique terrae deberi: utriusque exercitus Imperator legiones hostium superque eas se devovisset, eius populi partisque victoriam fore.* Ipsum autem Deciorum, quo se devovere, carmen durat, iudice Plinio, immenso exemplo. Quae carmina a Livio prolixè referuntur, qui ipsum etiam actum verbis hisce gravissimis describit: *Incinctus cinctu Gabino armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit. Conspectus ab utraque acie aliquanto angustior humano visu, sicut coelo missus, piaculum omnis Deorum irae, qui pestem a suis averfam in hostes ferret.* Quamvis autem apud Romanos Anno Urbis MDCLVII. Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Craffo Coss. Senatusconsultum factum sit, ne homo immolaretur, utque sacra prodigiosa palam in illud tempus celebrata tollerentur, qua de re maximopere gloriatur Plinius: *Non satis aestimari potest, in quibus hominem occidere religiosissimum erat: vana tamen est gloriatio, cum barbara haec sacrificia post haec tempora minime cessaverint.* Violavit enim hoc Senatusconsultum Caesar Dictator, cuius iussu viri duo in campo Martio a Pontificibus & Salio, velut in sacrificio, ἐν τρόπῳ τινὶ ἱερουργίας, sicuti Dio ait, iugulati immolatique fuerunt. Quinetiam diu post Christi adventum in urbe Roma haec horrenda sacrificia viguisse, patet (ut Tertulianum ac Minucium Felicem, qui de suis temporibus id testantur, praeteream) ex Lactantio & Porphyrio, quem Porphyrium Eusebius, qui alias victimas humanas post Christi adventum non amplius maectatas, sed hoc genus sacrificii aboli-

L. 28. Hist.
nat. c. 2.L. 30. H. N.
c. 1.Dio lib. 43.
p. 226.Tert. adv.
Gnost. c. 7.
Min. Fel. in
occl. p. m. 34.

abolitum affirmat, in libro de laudibus Constantini hisce verbis utentem adducit: Ἄλλ' ἔτι καὶ νῦν τις ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τῆ τῆ Λατιαρίας Διὸς ἑορτῇ σφαγιαζόμενον ἄνθρωπον; *sed etiam nunc quis ignorat, in magna illa urbe (Roma) Iovis Latialis Festo pro victima iugulari hominem?*

§. XXI.

Quod si vero Graeci & Romani, qui vitae severitate ac prudentia ceteros homines antecellere studebant, hanc crudelissimam superstitionem effugere non potuerunt, quid mirum est, eidem ceteras gentes, quae istis sapientioribus barbarae audiebant, addictas fuisse? Apud veteres Scythas sanguinolentae Dianae peregrini immolabantur, ac isti, quos naufragium facientes mare ad littora appulerat; quos igitur, (ut inquit Athanasius) providentia eripuerat, hos ipsi iugulabant. Thraces Zamolxin, quem maximum suum Deum putabant, non alia ratione propitium sibi fieri arbitrabantur, quam si ad aram facili lancearum ictu homo concideret, eam optimam & Deis gratissimam victimam opinati. De incolis insulae Thulae scribit Procopius, suo tempore, hoc est Iustiniani Imperatoris, apud eos victimarum potissimam fuisse virum quempiam, quem primum in praelio cepissent, Marti sacrificantes, ut quem Deorum maximum ducerent: *Sed ea, inquit, est apud hos immolandi consuetudo, ut non solum hostiam mactent, sed in arbore vivam hanc prius suspendant, indeque inter senticeta & vepres proiectam, sic variis ac miseris modis excruciendo conficiunt.* Gallorum natio, testante Caesare, erat omnium admodum dedita religionibus, atque ob eam causam, qui erant affecti gravioribus morbis, quique in proeliis periculisque versabantur, aut pro victimis homines immolabant, aut se immolatu- ros vovent, ministrisque ad ea sacrificia Druidibus utebantur. Germani quoque ritu barbari-

Lact. l. i. de
falsa Rel.
c. 21.

Hesychius.

L.II. Rerum
Goth.

Caesar l.
VI. de bello
Gall.

Tacit. de
moribus
Germanor.
9.

barico Mercurio humano cruore litare religiosissimum putabant. Idem etiam fecisse Senones traditur, qui, caeso publice homine, infanda sacra statis diebus celebrabant, his portentis expiari delicta credentes. De Americanis iam supra audivimus, ad ipsas quoque hunc furorem penetrasse, illis addere placet, quae Iosephus Aco-
Hist. Indo-
rum l. V.
c. 9.
 sta de Peruvianis atque Mexicanis refert: Aegrotante Inguia, Rege Peruviano, vel bellum gerente, Peruviani, ut regis negotia ex animi sententia peragerentur, decem infantes quatuor circiter sexve annos natos immolabant, die autem coronationis Regis ducentos infantes quatuor vel decem annorum mactabantur. Quoties Pater quidam aegrotabat, eius filius soli aut *Viracochae* sacrificabatur, adiunctis precibus, ut contentus esset filio, patri autem parceret. Mexicani quidem, referente eodem Acoſta, Captivos solummodo suis idolis sacrificabant. Sed devictorum hostium sanguinis supra modum prodigi erant, cum & sacrificia saepius repererentur, & ad minimum quadragenos vel quinquagenos una vice sacrificarent. Hasce infelices victimas praecipitabant retro & terga supinabant, imponentes eas lapidi acuto & secanti. Quo facto aperiebant Stomachum, extrahebant cor, quod adhuc sanguine calens soli exponebant, corpus autem hominis mactati pedis ictu de scalarum templi gradibus deturbabant. Hispanis captivis hoc fatum interdum obtigit. Idemque Acoſta mirabilem profus historiam, quam ille quidem verissimam esse contendit, ego autem veri periculum ad me non reciperem, de eiusmodi quodam Hispano captivo narrat, illius nimirum corpus aperto ventre, corde evulso ad pedes ceterorum Hispanorum, quibus inspectantibus res peragebatur, sese devolvisse, ac inter moriendum haec verba pronunciasse: O equites, occiderunt me!

§. XXII.

Cum institutum nostrum non sit, omnia *ἀνθρωποθυσίας* exempla enarrare, nam si hoc in animo haberemus, librum conscribere opus esset, quod consilium de *ἀνθρωποθυσία* scilicet librum edendi Ionsium agitasse, ipse de se testatur: Merito hic sub-
In Hp. de
Spartis p. 10.
 sistimus, exempla hactenus allata ad *Καθάρματα* gentilium explicanda abunde sufficere persuasi. Quin potius sub finem huius
 E
 disser-

differtationis quasdam adhuc meditationes circa hoc argumen-
 tum nostrum instituemus. Nimirum supra diximus, homines
 postea quam a vero Dei cultu ad idololatriam deflexerunt, Daemo-
 num praecipue oraculis, suasu & hortatu per talia *Καθάρματα*
 Deorum iram placare studuisse. Praeterea autem inter eruditos
 disputatum fuit, annon haec efferata immolandi homines consue-
 tudo ex Abrahami filium suum offerentis historia corrupta & de-
 pravata proflexerit. Sunt qui huic sententiae vel propterea sub-
 scribere dubitant, quod illa Abrahami historia, nisi plane mutila-
 ta, magna praebeat contra morem illum inhumanum argumenta,
 & verisimile sit multas gentes homines immolare solitas, de Abra-
 hami exemplo, ne vel fando quicquam audivisse. Quod poste-
 rius argumentum in primis urget Henr. Morus, qui sibi persuadere
 non potest, hoc Abrahami exemplum ad remotiores Europae &
 Americae partes penetrare potuisse, cum Peruviani absque ulla
 huius generis invitatione satis prodigi essent sanguinis filiorum suo-
 rum in sacrificando eos diabolo. Quamvis vero asserere nolimus,
 omnes gentes de hoc Abrahami facto inaudivisse: interim tamen
 fieri potuit, ut gentes Asiae factum illud perperam aemulati fue-
 rint, ac postea nefariam istam aemulationem in reliquas orbis ter-
 rarum partes, in quas ceu coloni transferunt, secum advexerint.
 Quemadmodum supra diximus, Carthaginieneses & Americanos sta-
 tuas Molocho simillimas habuisse. Quod enim ad prius argu-
 mentum attinet, quod Abrahami historia potius argumenta contra
 Diabolicum istum ritum suppeditet, cum Isaacus non vere mactatus
 fuerit, sed Deus hunc actum consummare severe prohibuerit, re-
 spondet Witius cum aliis: Isaacum vere mactatum credi semper
 voluisse Diabolum, ut res cederet in exemplum. Generis enim
 humani hostem omnibus modis annixum esse, ut prava facti illius
 aemulatione gentes seduceret. Quo accedat, quod Deus, cui illa
 Abrahami *προθυμία* impendio placebat, animum pro effectu aesti-
 mans, ita de hoc actu in sacris literis loquatur, quasi revera filium
 Abrahamus immolasset: dicendo, *non subtraxisti filium tuum, uni-
 cum tuum, a me.* Quod Paulus amplificat Hebr. XI, 17. Quod
 etiam Philoni Iudaeo scite observatum est. *Τῷ δὲ ἡ πρᾶξις ἐστὶν*
καὶ

L. III. Ma-
 gni Myster.
 Pietatis c.
 XV. s. 4.

Witius
 Aegypt. l. 3.
 c. 7. p. 233.

Gen. XXII.
 v. 12.

καὶ μὴ τὸ τέλος ἐπικολάθησεν, ὀλόκληρος καὶ παντελής, ἔμ-
νον ἐν ταῖς ἱεραῖς βιβλοῖς, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς τῶν ἀνευγινωσκόν-
των διαγοίαις ἀνάγραφῆς ἐσηλίτευται. *Facinus tamen hoc,*
quamvis effectu caruit, nibitominus pro integro absolutoque,
non modo in sacris refertur voluminibus, sed & in lectorum
insculptum est mentibus.

§. XXIII.

Quo quo modo haec res sese habeat: Gentiles hic nullam
inveniunt excusationem, ut qui non ideo tantum peccarunt, quod
Diis falsis sacra fecerint, verum etiam quod divinum numen ista
ratione colendi mandatum nullum habuerint, quale Abrahamus
habuit. Ceterum ex illis ipsis horrendis execrandisque Ethnico-
rum sacrificiis, quae, ut Plinii verbis utar, *Toti mundo consensere*
quamquam discordi & sibi ignoto, hanc utilissimam observationem
elicere posse videtur: illa quasi universalem generis humani con-
fessionem complecti, ad avertendam irati numinis iram, idoneum
aliquod sacrificium expiatorium requiri, quod NOCENTIVM
HOMINVM LOCO offeratur. Quum enim multorum cri-
minum se reos esse deprehenderent, ac simul persuasissimum ha-
berent, delictis hominum offendi & irasci Deos ac propterea ma-
gnas calamitates, qua privatas qua publicas, hominibus immittere:
iram eorum placari non posse nisi interveniente idonea hostia fa-
cile sibi persuadebant. Hic autem quae & qualis sit illa vera ho-
stia peccata mundi tollens ac iram Dei reapse placans ignorantes
miris modis titubarunt, quo se verterent, quidve agerent nescientes.
Proinde cum primo viva animalia in honorem superiorum macta-
rent, τῆς σφῶν ψυχῆς ἀντίψυχα προσκομίζοντες, uti Eusebius
loquitur, *bestiarum animas quasi suarum animarum loco apportian-*
tes: postea in eam devenerunt opinionem; haec bruta sacrificia,
averruncandae Deorum irae sufficere non posse, hinc errore seu
furore potius quodam Diabolico excoecati, teterrimis sese istius-
modi homicidiis ac parricidiis polluerunt. Hoc de Gallis disertis
verbis testatur Caesar: *Quod pro vita hominis nisi vita homi-*
nis reddatur, non posse Deorum Immortalium numen placari
arbitrentur. Cum igitur nonnunquam vel ex hostibus vel infima
plebis.

loc. cit.

Dem. Ev. I. I. c. X.

loco. cit.




plebis fece mortalium abiectissimos hisce sacrificiis impenderent, in eo quoque anxiae conscientiae acquiescere non potuerunt, siquidem nulla spes aderat diis litandi talium sacrificiis hominum, qui ipsis hominibus contemptui & abominationi essent. Indeque factum est, ut optima & nobilissima, quae possidebant, in hunc finem adhibitari mox liberos suos, mox Reges ac principes, huic rei se sponte offerentes iratis Diis devoverent. Negare etiam nolumus, hanc gentilium opinionem exinde multum corroboratam fuisse, quod de Christo, qui morte sua genus humanum redempturus esset, aliquid inaudiverint. Ita sentit B. Brentius: *Multae gentes expiarunt publica mala morte hominis, quae etsi a gentibus facta sunt, tamen ostendunt, maiores gentium praedicasse de Christo homine, qui sacrificio suo & morte sua expiaturus esset iram Dei.*


Pericop. Ev.
Dom. I.
Adv.


loc. cit.


Origenes itaque ista non frustra a Gentibus historiis mandata esse, optime concludit his verbis: *εἰ γὰρ τὰ δὲ μὲν ὑπὸ Ἑλλήνων ἔμασθη ἰσόρηται, τὰ δὲ καλῶς περὶ τῶν μαρτύρων εἴρηται, περικαθαρμάτων τῆς κόσμου γενομένων καὶ πάντων περιψήματα λεγομένων διὰ ταῦτα Ἀποστόλων, τὸ ὑποληπτόν, καὶ πῆλικον περὶ τῆς ἀμνῆς Θεῶν, διὰ τῆτο θυομένως, ἵνα ἀργή ἀμαρτίαν ἔκ ὀλίγων, ἀλλ' ὅλας τῆς κόσμου, ὑπὲρ ἑ καὶ πέπονθε. Si enim haec a Gentibus haud frustra historiis mandata sunt, illa autem recte de martyribus dicta sunt, cum Apostoli fuerint mundi purgamenta, & ob hanc causam dicti sint περιψήματα; quid & quantum sentiendum est, de Agno Dei, qui ob hanc causam sacrificatus est, ut tolleret peccatum non paucorum, sed totius mundi, pro quo & passus est.* Immortales ergo Christo servatori nostro gratias agamus, qui universi mundi peccata sustulit & expiavit & nos e regno tenebrarum, foedarumque & immanium superstitionum, sub quo maiores quoque nostri quondam miserrime detinebantur, clementissime eripuit; ac in eiusdem solo sacrificio omnem salutis nostrae spem colloceamus.

S. D. G.









G E N T I L I V M .

umstantiae, quas Livius literis consign.
 Latino, Decio Patri & T. Manlio, in quiete
 in visam esse viri maioris quam pro humano
 orisque dicentis: *Ex una acie imperatorem,*
atum Diis manibus, Matrique terrae deberi:
atus Imperator legiones hostium superque eas
ius populi partisque victoriam fore. Ipsum
 um, quo se devovere, carmen durat, iudice
 fo exemplo. Quae carmina a Livio prolixè
 i ipsum etiam actum verbis hisce gravissimis
inctus cinctu Gabino armatus inequum insi-
edios hostes immisit. Conspectus ab utraque
augustior humano visu, sicut coelo missus, pia-
eorum irae, qui pestem a suis aversam in ho-
 Quamvis autem apud Romanos Anno Urbis
 . Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Coss.
 tum factum sit, ne homo immolaretur, utque
 sa palam in illud tempus celebrata tollerentur
 re maximopere gloriatur Plinius: *Non satis*
test, in quibus hominem occidere religiosissimum
ra, in quibus hominem occidere religiosissimum
 men est gloriatio, cum barbara haec sacrificia
 pora minime cessaverint. Violavit enim hoc
 tum Caesar Dictator, cuius iussu viri duo in
 o a Pontificibus & Salio, velut in sacrificio, è
spicias, sicuti Dio ait, iugulati immolatique
 in etiam diu post Christi adventum in urbe
 horrenda sacrificia viguisse, patet (ut Tertul-
 nucium Felicem, qui de suis temporibus id
 teream) ex Lactantio & Porphyrio, quem Por-
 ebis, qui alias victimas humanas post Christi
 n amplius mactatas, sed hoc genus sacrificii
 aboli-

L. 28. Hist. nat. c. 2.

L. 30. H. N. c. 8.

Dio lib. 43. p. 226.

Tert. adv. Gnost. c. 7. Min. Fel. in ocl. p. m. 34.

